

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 31, quaestio 1. (fol. 36rb)

Utrum in homine sensitiva sit a generante?

Primo ergo quaeritur, utrum in homine sensitiva sit a generante?

Et quod sic videtur, quia Philosophus, *XVI De animalibus*,² dicit embryo

<36va>

prius est animal quam homo. Sed non potest esse animal nisi per sensum, qui solus facit esse animal.

Item, *II De anima*,³ dicit, quod prima mutatio sensitivi est a generante. Sed prima mutatio est eius productio, ergo etc.

Contra, unius animati una est anima. Sed si per aliam animam homo esset sensitivus, et per animam rationalem esset intellectivus, ita essent duae animae, quod est condempnatus in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*.⁴ Ergo, si non sunt duae, ergo est solum una, et illa est per creationem, ergo non est per generationem.

Respondeo, dicendum, quod quidam dicunt, quod in homine sicut in aliis est, quia in semine sunt quidam calores naturales, qui sunt anima in potentia, et educitur virtute corporum celestium ad actum in corpore matris, sicut dicunt Philosophum dicere, *XVI De animalibus*,⁵ qui dicit non simul animal

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 31, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Aristoteles, *De generatione animalium* V.1, 778b.(?)

³ Aristoteles, *De anima* II.5, 417b.

⁴ Gennadius Massiliensis, *De ecclesiasticis dogmatibus* cap. 15.

⁵ Aristoteles, *De generatione animalium* V.1, 778b.(?)

et homo, et animal et equus, sed prius animal quam homo, et animal quam equus.

Item, ibidem

dicit, quod sensitiva non est ab extrinseco, sed intellectus solum.

Ratione etiam moventur propter univocationem hominis et aliorum alium in animali.

Sed contra positionem istam est illud concilium 118 episcoporum, ubi dicitur, non duas animas in homine dicimus, sed unam tantum qua corpus animatur et sua societate vivificat et se ipsum sua ratione disponit.

Item, si tu dicas, quod ex illis duabus fit una, hoc non iure posse stare, quia aut contingeret, quod ex duobus entibus completis fieret unum. Aut si unum est incompletum, puta sensitivum, et quasi materialis, et altera formalis, tunc oportet, quod cum quaelibet forma communicat actum suum materiae suae, quod sensitiva sit intelligens et volens, quod falsum est.

Alii vero dicunt, quod anima humana est quod dat subpositum substantiae spiritualis, comprehendens in se plures formas, sicut dicit Avicenna, propter quarum formalium partium unionem in unum vinculum impediuntur ad invicem. quod quidem subpositum exit in esse per creationem, cuius subpositi aliquae formales partes sunt sensitiva, per quam sensificat corpus, et alia est pars intellectiva, per quam intelligit. Hoc est sententia VIII Augustinus, *Contra epistolam fundamenti*. Ergo ex quo generale concilium dampnat, et ratio monstrat, dicendum est, quod in homine non est sensitiva a generante, sed a creante.

Ad primum argumentum,

dicendum, quod si illud est verum, quod illud, quod est ibi loco alicuius pulsus, sit anima sensitiva, quod corrumpitur adveniente intellectiva, quia ea, quae sunt ad finem, cessant habito fine, et praecipue cum illa fuerit valde imperfecta.

Vel dicendum aliter, quod totum illud fit ab anima matris, cum illud tale ad hoc sit coniunctum cum corpore matris.⁶

Ad secundum, dicendum, quod ibi vocatur generans large pro quocumque educante aliquid de potentia ad actum. Si autem ipse intellexit aliter, non est recipiendus in ista parte.

⁶ Add. in marg. *Exemplum patet in lapide impulso sensum.*